



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An possit professus seu religiosus transire ab una religione ad aliam,
& quæ conditiones requirantur ad licitum transitum ad aliam religionem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

etiam sententia, quæ hanc novam
acceptationem non requirit, sua proba-
bilitas fundata in c. significatum 11. b. 2.
Et in c. 1. eodem in 6.

§. X.

*De jure seu facultate reclamandi
adversus professionem invalidam.*

Quod regulares, & quidem omnes,
tam mares, quam fœminæ, etiam
militarium ordinum, reclamare pos-
sint contra nullitatem suæ professionis,
ex Tridentino sess. 25. de regularibus
cap. 19. patet, & ex plenaria libertate
ad professionem requisitâ probatur, ita
tamen, ut juxta Tridentini decretum,
loco cit. relatum, certæ conditiones
requirantur, ad legitimam reclamatio-
nem; primò scilicet, ut ante reclamatio-
nem habitum non deponat, qui recla-
mare vult contra professionem suam in-
validam; neque cum habitu discedat,
sine licentia suorum superiorum, nisi iusta
causa alterutrum suadeat, tanquam ne-
cessarium ad reclamandum, aut habitus
ad tempus aliquod dimissus, iterum ante
reclamationem fuisset assumptus. 2. re-
quiritur, ut coram suo superiore (im-
mediato scilicet Prælo regulari, qui
professionem ejus admisit, vel coram ejus
successore) & Ordinario (Episcopo
scilicet diocesis illius, in qua situm est
monasterium reclamantis) aut Vicario
Generali, vel Capitulo cathedrali, (in
casu vacantis sedis) causas nullitatis suæ
professionis deducat. 3. requiritur, ut
reclamatio talis fiat intra quinquennium,
à die professionis numerandam, nisi iusta
ignorantia nullitatis, aut aliud impedi-
mentum à reclamando rationabiliter im-

pediens, quinquennium hoc non
à tempore professionis factæ, sed
per se quidem fieri deberet, quia
tempore cessantis ignorantie, aut im-
pedimenti, inchoari juberet, per
probabilior sententia docet, si ante
hanc ignorantiam, aut impedimentum
prius intervenisse, neque suam
professionem se ratificasse, probet, et
quinquennium à die professionis
suum reclamans. Causæ autem, ob
quas reclamari potest dicto modo de pro-
fessione nulla, sunt plerumque, quæ
in amentia, aut ex rationis defectu pro-
fessus sit aliquis; quod fuerit probatum
ante legitimam ætatem, ante annos
novatius absolutum; quod non gravi
injustè incusso ad extorquendam profes-
sionem, vel per vim fuerit coactus pro-
fiteri; quod in monasterio directè facta
fuerit professus, vel non coram legitimo
superiore &c.

SECTIO IV.

*De facultate transeundis
una religione ad aliam.*

§. I.

*An possit professus seu religiosus
transire ab una religione ad aliam.
Quæ conditiones requirantur ad
talem transitum ad aliam reli-
gionem?*

Temerè non potest religiosus à mo-
nasterio, in quo professus est, ad
aliud transire, sive ejusdem, sive alterius
ordinis sit, sive laxioris, sive æqualis, sive
strictioris ordinis sit, prout statutum est in
c. 1. de

c. Ioannes s. b. t. ne per talem transitum, aut injuria fiat priori monasterio, quod jus in suum professum acquisivit, aut voto suo contraverit talis religiosus, si propria auctoritate commutat professionem suam primam in aliam. Dicitur autem transire, qui transit, aut sola levitate, vel inordinata animi passione ductus, vel qui transit non petita superioris legitimi licentia, & hac non obtenta (in casibus scilicet, in quibus jura requirunt licentiam obtentam) prout habetur etiam in *c. non est 7. h. t.* contra quos temerè sæpius sub prætextu strictioris ordinis, transeuntes, privilegio, etiam Apostolico munitæ sunt religiones aliquæ, uti habetur in *c. Licet 18. h. t.*

Si tamen conditiones à jure requisitæ observentur, licitum est omnibus religiosus, tam viris, quam foeminis ab una religione ad aliam strictiorem transire, prout habetur in *c. Licet 18. h. t.* (ne spiritui sancto ad meliorem perfectionem impellenti, videatur remora posita, quin imò toti etiam communitati religiosæ transitum talem licere, patet ex *c. 3. §. ceterum de stat. monach.* & probabiliter sine licentia Episcopi. Conditiones autem ad talem transitum licitum requisitæ sunt 1. ut fiat transitus ad strictiorem religionem; strictioris religionis nomine hic non intelligendo eam, quæ in se, & absolute perfectior est, cujusmodi perfectio ex fine desumitur, & proportionem mediæ ad finem, sed eam intelligendo, quæ majorem austeritatem, seu rigidiorem regulam habet, præsertim circa silentium, & solitudinem &c. non tam juxta primævum suum institutum, sed juxta modernum vivendi mo-

dum, per varias constitutiones, consuetudines, privilegia, vel abusus etiam introductum. Secunda conditio est ad legitimum transitum, ut non fiat hic temerè, & ex inordinata passione tantum, sed ex pura intentione, & sincero Zelo majoris perfectionis obtinendæ; neque fiat transitus talis, cum notabili detrimento monasterij, in quo professus fuit, prout in *c. licet* decernit Pontifex: ad quæ discernenda tertia conditio est, ut licentia transeundi ad strictiorem religionem à Prælato suæ professionis, prius sit petita, cum debita humilitate, & puritate, ut ait Pontifex, ne bonum obedientiæ contemnere videatur, & ut Zelus illius, ac puritas intentionis examinetur: & hinc quamvis etiam non obtenta à superiore licentia transitus talis religioso concedatur (ad strictiorem scilicet, non tamen ad parem vel laxiorem; ad quem transitum non sufficit petita licentia, sed requiritur obtenta) si justo Zelo ad transeundum hic moveatur, superior verò sine justa causa licentiam denegat; non tamen potest religiosus petita licentia, aut post negatam licentiam statim transire, sed debet legitimo tempore expectare, dum motivum transeundi videatur examinatum, & appareat sine justa causa, ac indiscretè negatam esse transeundi licentiam, ita ut si dubium sit, ex qua causa à superiore negetur licentia, vel ipse de causa justa negationis interrogari ulterius debeat, vel superior illius adiri ad impetrandam licentiam, vel cogi superior, ut causam suæ negationis proferat: neque tamen transeundi hæc licentia facillè concedatur, nisi prius religio petita velit talem transitum

rum recipere (ne detur vagandi occasio) & hic habeat literas dimissorias à suo superiore, ut appareat, motivum illius fuisse examinatum.

§. II.

Quinam superior in specie licentiam dare possit transeundi ad aliam religionem?

Non tantum immediatus, sed etiam mediatius superior ordinis, aut monasterii, Provincialis v. g. Generalis &c. licentiam hanc ad strictiorem ordinem transeundi, per se dare potest, cum non tantum immediatus, sed mediatius etiam verus religiosi talis sit superior, à quo licentiam petendam præscribit *cir. c. licet*: & sicuti licentia Episcopi, casu quo exemptum etiam monasterium non esset, ad transitum hunc non requiritur, ita nec requiritur consensus Capituli, cum nihil de alterutro requisito innuat *statum capitulum*. Monialibus tamen, si dicto modo transire velint, præter Abbatisæ suæ v. g. licentiam peritiam necessarium etiam est petere eam à Prælato regulari, cui subsunt, & ab Ordinario loci (saltem si non exemptæ sint) cum judicare de causa transitus v. g. res gravis sit, mulieribus non concessa, prout in quibusdam ordinibus ex peculiari- bus ordinum talium statutis, ob rei gravitatem, hæc dandi licentiam potestas reservata est Provinciali vel Generali.

Licentiam verò ad laxiorem, aut paris rigoris ordinem transeundi solus Papa concedere potest, si nulla iusta causa transeundi habeatur (saltem pro foro externo) ex iusta tamen causa in-

firmitatis v. g. aut gravium inimicorum &c. cum sit non tam commutatio in melius, sed quasi alienatio aliquæ, potest quidem concedere transeundi licentiam nonnunquam etiam immediate superiori, cum consensu tamen Capituli quasi Episcopalem jurisdictionem habeat, & immediate Papæ subiectus non tamen, si alij superiori regulari Provinciali v. g. Generali &c. subsit sit, cum in tali casu licentia danda non tam immediato Prælato conveniat v. g. Guardiano &c. sed illi qui in ordini, aut Provinciæ præest, cuius professionem suam religiosam tractat competat, ita tamen, ut in ordinibus non exemptis, Episcopus etiam cum consensu Abbatis seu Prælati non exempti, & Capituli transitum talem concedere possit.

§. III.

An & quatenus permittum sit, et prohibendum ex certis religionibus transire ad alias.

Canonicum regularem transitum ad ordinem Monachorum, eodem modo in monasterio, ad quod transitus strictior sit observantia *ex c. Sicut in d. c. patet*, & quamvis de iure antiquo decretorum *causa, 19. q. 3.* hoc non liceat, ob specialem pro illo temporis gentem rationem, quo tempore monachi sacerdotes non fuerunt, fuerunt autem Canonici, ne ad inferiora descenderetur, quia tamen hæc ratio nihil urget, concessa est hodie hæc transeundi licentia (saltem de iure communi, & servatis regulis